



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatus Practicus De Casibus Summo Pontifici, Episcopis, Et Praelatis Religionum Reservatis

Kiene, Johann Georg

Constantiae, 1629

11. Homicidiu[m] voluntarium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42214**

XI. Homicidium volūtarium, excipe (probabiliter) mutilationem, & multò magis percussionem in laicis, rixas gladiatorias, etiamsi vulnus graue infligatur, aut membrum abscindatur, ex cuius mutilatione sequatur irregularitas ad S S. Ordinum susceptionem.

Intellige priuata authoritate, & extrà necessariam cum inculpatæ tutelæ moderamine defensionem commissum siuè vi aperta, siuè infidiis, suffocatione veneno, nemini enim licet, excepto Magistratu & quidem secundum legum Sanctiones mortis poenâ, aut mutilationis in facinorosos homines animaduertere, aut ab inimicis priuatam sumere vindictam. Quapropter carnifices, lictores, Iudices, si præter ius, & sententiam maleficos ex priuato odio artius

etiam constringunt, plectunt, tor-  
 quent &c. grauius peccant. Col-  
 ligitur ex præcepto sexto, Non <sup>quint</sup>  
 occides: quo tam cædes suis  
 quàm alterius quantumuis sit  
 abiectæ conditionis homuncu-  
 lus, prohibetur, quia indistinctè  
 dicitur non occides. *Et Genes. 1.*  
*vers. 6.* Quicumque effuderit hu-  
 manum sanguinem, funderetur  
 sanguis illius: ad imaginem  
 quippe Dei factus est Homo: æ-  
 quum enim est, vt Homicidæ san-  
 guis lege talionis pariter per sen-  
 tentiam, & condemnationem,  
 vel rixas, latrones, ruinas, incēdia  
 fundatur. Et constat experientia  
 homicidas variis infortuniis,  
 ultore nimirum Deo, ac vindice  
 agitari, & ferè violentâ morte  
 non naturali occumbere: quia  
 homo imago Dei est, qua demo-  
 litâ iniuria, & Deo & homini in-  
 fertur, *Vide Cornelium comment. in*

G. 3,

Deut.

*Deuternom. Cap. 21. vers 4.* vbi docet Deum etiam apud Gentes: quid inter Christianos? homicidium miro iudicio & iudicio, deregere, & vindicare.

XII. Sortilegium, seu Diuinationo, de quo infra, alii, sed mendose, legunt, Sacrilegium.

Sortilegium intellige diuinationis superstitiosæ vitio corruptum, quo Sortilegi vtuntur ad occulta furta cognoscenda ex iactu, & casu taxillorum, charularum. Etsi sortium vsus in electionibus Ecclesiasticis tam ad beneficia, quàm ad officia dignitates, denominationem ministrorum Ecclesiasticorum sit prohibitus, *iuxta Cap. Finale de Sortilegiis lib. 5. Decret. tit. 21.* tamen hic non videtur esse sermo de tali Sortilegio, sed de Diuinatorio,